

se Magnolius nomine suo inscriptam, seu pittaciis munitam; omnes erant fasciculatim aggestæ in libris, cùm D. Magnol, Botanici filius, meus collega, nequaquàm botanices gnarus, me monuit si eas vellem accipere, secùs in ignem projecturum. Dedit simul alias foliis agglutinas, sed ità detritas, ut cognosci nequeant, et nullius usûs sint. Sperabas, vir clarissime, herbarium rarum, nitidum, Magnolio dignum; en solum plantas ità exoletas et vetustas, ut valdè metuam ne tibi fastidium moveant plurimæ Magnolianæ; quæ verò à meo penu, sunt recentiores: utinam tibi placeant! Quas volueris, accipias et retineas; verùm pergratum mihi feceris, si anno sequenti, aut primâ navi posses remittere cæteras, et potissimum Gramineas, vero nomine munitas; illis enim carere non possum ad opus meum *Floræ Monspelianæ*, tuo jussu susceptum, perficiendum. Gramineæ plures sunt raræ, à monte Calcaris devectæ; nonne posses unum ex tuis discipulis præponere ad nomen cuique addendum? Cùm dimittes, inscribe, quæso, à *Monsieur Desmarets, négociant, à Sete, pour rendre à M. de Sauvages, à Montpellier.*

Addo huic capsæ viginti circiter theses medicas, quas tibi placere cupio. Doleo quòd meliores non habeam. In capsâ est fasciculus, malè colligatus, dissertationum medicarum quem clariss. Hallero,